



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 10. Nostra infortunia cum D. Laurentij, aliorúm[ue] Martyrum
cruciatibus comparata, vix vmbram esse malorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

nibus conuiciabitur; *Fortuna* tristi, de omnibus bene loquetur. Denique qui Fortunatus, velut scorpio aut araneus linguæ suæ venena diffudit; is infortunio tactus, sine bile, sine dente erit. In summa, *Fortuna simul cum moribus mutatur*; dixit olim historicus; dixisset veriùs: *Mores simul cum Fortuna mutantur*: nam plerumque *bona Fortuna malos, mala bonos facit mores.*

§. X.

Nostra infortunia cum D. Laurentij aliorumque Martyrum cruciatibus comparata, vix umbram esse malorum.

Sed veniamus ad septimum, & nostra incommoda, cum Martyrum, cum Christi, aut etiam cum damnatorum cruciatibus comparemus. Atque, vt è multis Martyrum millibus vel vnus fortitudinem perpendamus, quis non censeat D. Laurentium à *Fortuna* malè habitum? At innoxius, at pius Xisti minister, at fidelis Ecclesiæ thesaurarius, at prudens dispensator, at pauperum insignis amator, captus, & exquisitissimo tormentorum genere, in ferream cratem catenis immitissimè astrictus, lentoque igne, ad Perillæam immanitatem, tostus fuit? sæua hæc est *Fortuna*, immo sæuissima,

lima, si, præter gliscentes prunas subter, & præter fumantes Martyris atque liquentes artus supra cratem, nihil aspiciamus. Quòd si verò Laurentij æstum cum gehennæ incendijs æstimemus, scintilla est, ad AEt nam, gutta ad Oceanū comparata. Sin verò rursus nos nostræ Fortunæ iram, non iam ad Acheronticos lacus, sed vel ad D. Laurentij cruciatum trutinemus, vix tenuis quædam umbra erit, nec gemitu digna. Sed ipsum Christum, tota vita patientem nobis proponamus, & deprehendemus, quàm parvam ille nobis calicis sui portionem reliquerit exhauriendam.

§. XI.

Nullum fuisse, cui magis bonæ felicitates huius vitæ ferè omnes aduersæ fuerint, quàm Christum gentis humana reparatorem,

Christus Dominus, ait D. Chrysoftomus, statim, ut in lucem prodijt: ab incunabulis in exteram terram fugitiuus, ob regem persecutorem, migravit, in barbarorum scilicet regionem itinere distantem. Qua quidem ex causa ingens vis cruoris effusa est; & tenera ætas, non secus ac in prælio, concidebatur. Quid hac tragœdia crudelius? & hac ab eo perpetrabantur.

M s

qui

S. Chry-
soft. ep. 1.